

litas populi superstitiones, aut potuisse, aut ausam saltem fuisse penitus reprimere. *PUBL.* Teneo pares ex ære magno *Tiberii* & *Caligulae* Numos: qui tamen *Augusti* modestiam æmulati esse non videntur.

DIALOGUS XV.

Exempla Templorum in Numis.

TULLIUS.

I.
TAB III.
N. VI.

Tom. II.
p. 642.

Sextus Numus quomodo placet, & in eo quid vides? *PUBL.* Templum, puto, quoniam fores clausas habere apparet, intra Coronam querneam. Supra in medio imponitur Sertum laureum. Ad latera, & infra, scribitur: *PACI AUG. usli PERP. etua.* *TULL.* Hic Numus *Tiberium* rehibet in Adversa, apud Vicum piæus absque lauro, ære hujus Imperatoris 4. to. Ill. porro *Spanhemius*, de Numis Augg. agens, qui Pacem signant, hunc nostrum obiter commemorans, exhiberi ait in eodem Templum Jani clausum, ut pacatis Reipublicæ rebus, armisque positis fieri solebat. Video autem tua in supelectili tres alios Numos pari fere cum Templo, non tamen intra Sertum: pone: S. C. infra scribitur: *PROVIDENT. iat.* Primus æque *Tiberii* est: alter, ac tertius, in Adversa Caput habent *Augusti*, cum titulo: *DIVUS AUGUSTUS PATER.* Horum posterior est restitutus, quoniam in Aversa circum legitur: *IMP. CÆS. VESP. asianus AUG. uslus REST. iquit.* Existat præterea apud *Æn. V. icum* Ære *Vespas. 26.* simillimum Templum, supra imposto Cantharo duas inter Coronas laureas, æque cum titulo: *PROVIDENT. ia.* Item Ære *Domit. II.* Templum sine Coronis, cum epigraphe circum: *SALUTI AUGUST.* Un-
di-

dique Templum, paris prope formæ, consignatum fuisse, nemini fere dubium erat.

Nihilo secius tamen Cl. *Harduinus* Numum pinxit Æris medii, cum capite *Augusti* radiante in Adversa, & epigraphæ: DIVUSAUGUSTUT TAEIM. Aversa eandem imaginem habet cum superioribus, ac S. C. & Nomen: PROVIDENT. Mihi si Numus iste occurrisset, existimasset eundem ex rudis, fasisque, & adulteratoris Monetarii tyario prodiisse: qui supradictum, vulgoque occurrentem *Augusti* Numum graviter peccante scalpro mendose corrupit. Nam & in delineatione *Harduiniana* inconcinnitas imaginum apparet. Vir tamen Cl. mysteriorum relegendorum amans, & non facile in Monetarii vitium consentiens, hanc fabricam, quam omnes Templum credidere, dixit esse Armamentarium, epigraphen Adversæ ita dissolvendo exponens: DIVUS AUGUST. V. oluit T. urritam T. arraconem A. rmamentarium E. sse I. mperii. Et hanc *Augusti providentiam* laudari asserit in Aversa.

Qua cum postea & *Nero*, sua quidem opinione, fuisset, eundem in sensum inflectit græcum quempiam ejusdem Numum a se pictum, in quo *Providentia* sedet, tributo *Neroni* elogio *Novi* sive secundi *Augusti*, per: ΠΡΟΝ οία. ΝΕΟΥ ΣΕΒΑΣΤΙΟΥ: i. e. *Providentia Novi Augusti*. Nituntur hæc solo Interpretis ingenio, nullo, quem sciam, veteri teste. Utrum hujusmodi curati Armamentarii *Providentiam* per supra scriptos Numos, ob similitudinem imaginis etiam in *Tiberio*, & *Vespasiano* laudatam velit, ignoro, & valde ambigo. Sin minus, in icone pari paris Nominis Ædificium, nempe Templum, aut verius, propter exiguitatem, Aedem Sacram contemplor. Porro Colonia *Victrix Turrata Tarraco*, quam ipse, ut Imperii Armamentarium predicare voluit, Hispanica erat, hodie dicta *Tarragona* in Ora Catalauniæ.

PUBL. Numi sequentes vel solo aspectu suo me oppido recreant, quod mera Tempia splendida, & elegantissima referant, formæ pompæque plurimum diversæ. Primum septimo in Numo sex Columnis trabeatum, & quadratum, in medio Statuam habet Jovis nudi stantis, cum hasta & fulmine. Pone legitur: JOV. i TON. anti. Infra: S. C. TULL. Excepi hunc Numum ex lineis *Aen. Vici Argent. Augusti* 25to. quem nimirum hoc Templum habet Authorem, Sic namque de eo *Suetonius* docet, „ Aedem

II.
In Plin.
suo Tom.
I. Tab. II.
n. 4. ad
col. 141.

III.

IV.
TAB. III
N. VII.

In August. c. 29. „ dem *Tonantis Jovis* in Capitolio (puta, in clivo Capitolii) exstruxit, liberatus periculo, cum ab expeditione Cantabrica per nocturnum iter Lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucem exanimasset. „ Lepidum deinde subdit, *Capitolinum Jovem*, quippe multo vetustiore, per somnium Augusto conquestum esse, dum semper *Tonantem* visitaret, comitatu suo sibi cultores abduci. Respondisse porro Caesarem, se *Jovem Tonantem* eidem pro Janitore appoluisse: & statim fastigium novi Templi tintinnabulis, qualia pendere consueverunt a januis, redimiri curasse. Quod fatuum Augustæ Historiæ Monumentum nihilominus etiam *Dio* fastis dignum existimavit.

Libr. LIV.

V. PUBL. Numus Octavus Templum quadratum sistit, sex Columnarum, cum Cupola rotunda, cinnisque, & Acrostoliis, in Zophoro: sub quo Mars, cum Aquila, & signo Legionari consistit. Pone hinc & inde lego: MAR.ti ULT.ori: infra: S. C. TULL. Tribus variis typis hoc Templum *Aen. Vicus* expressit Argent. *Augusti* 49. 51. & 54. Primo loco, ut ego hic tibi ex eodem pinxi: altero plane rotundum, cum Statuis in Zophoro: sub eo autem, omissa Martis imagine cum Aquila Legionari erecta, duo inter Cohortium Signa, nihilominus tamen cum addito, MAR. ULT. Tertio demum cum Templo 4. columnarum rotundo, in cujus medio visuntur *Quadrigæ Vacuæ*, Aquila sola imposita, & subscriptione: S. P. Q. R. Nempe & Marti quoque *Augustus* Templum vovit struxitque, sive unicum illud fuerit, sive geminum: de quo Scriptores contendunt.

VI. In August. c. 29.

Suetonius quippe denuo refert: „ Plurima Opera publica exstruxit. Ex quibus vel præcipua, Forum cum Aede *Martis Ultoris*, Templum Apollinis in Palatio, Aedem *Tonantis Jovis* in Capitolio. - - - Aedem *Martis* bello Philippenfi, pro *Ultione Paterna* (nempe *Cæsaris Julii*) suscepto voverat. Sanxit ergo, ut de Bellis, Triumphisque, hic consuleretur *Senatus*: Provincias cum imperio petturi hinc deducerentur, quique Victores rediissent, huc Insignia Triumphorum inferrent. „ Habemus hic Templum in Foro Augusto. *Dio* autem *Cassius*, postquam retulit, *Augusto* signa Romana, quæ *Crasso* ademta fuerant, a Parthis ultro fuisse restituta, subdidit: „ Itaque & *Senatus* sacrificia ejus rei causa, & *Templum Martis Ultoris in Capitolio*, ad imi-

Libr. LIV.

„ imitationem Jovis Feretrii, quo Signa ei Militaria suspenderentur, decerni iussit, ac deinde perfecit. „ Hæc, si, ut hic prolata sunt, accipiamus, alterum habebimus Martis Templum in Capitolio.

Verum tamen *Pitiscus* inquit, veram græci textus transpositionem esse: & Templum Martis Ultoris, adinstar Jovis Feretrii in Capitolio, - - - perfecit. Quod longe alium sensum reddit. Interim *Ovidius* de prima Voti causa, nempe Victoria Philippenfi, cecinit, ore *Augusti* loquens:

VII.

Factor
L. V. v.
577.

Templa feres, & me Victore, vocaberis Ultor.
Voverat, & fuso lætus ab hoste redit.

De altera deinde, nempe signorum a Parthis receptione:

Parthe, refers Aquilas, victos quoque porrigis
Arcus:

Pignora jam nostri nulla pudoris habes.

Rite Deo Templumque datum, Nomenque Bisultor:
Emeritus Voti debita solvit honor.

PUBL. Quantæ gratiæ est, Numos per se illustres tam egregiis testimoniis quam pulcherrime confirmare. Numus tuus novus rursus Templum quatuor Columnarum redhibet, sub quo Idolum scæmineum, quasi Flori aperto, globoque insidet, atque multorum uberum est, cui cornua pro brachiis esse videntur, capitique modius impositus. Pone: DIAN. ac EPH. *estiac.* Infra: S. C. *TULL.* Vidi Numum hunc denuo apud *Aen. Vicum Argent. Claudii 2, ac 3. tio,* cum capite *Agrippinae* in Adversa, ejusque nomine: AGRIPPINAE AUGUSTAE. Multa quidem *Dianæ* Tempora Romæ fuisse traduntur, nullum tamen, quod noverim, sub nomine, ac forma *Ephesiacæ.* Hanc infra, Deas inter, jatius tibi exponam. Cæterum *Cl. Patinus* Impp. p. 85. plures

VIII.
TAB III.
N. IX.

Græcarum Urbium Numos depinxit, in quibus *Agrippina*, Vxor *Claudii* postrema, *Neronis* Mater, ut adulandi tunc mos erat, jam *Cereris*, jam *Dianæ*, jam *Cybeles* imagine consignatur. Par studium & hic intervenisse existimem.

IX.
TAB. III.
N. X.

In Camil-
lo.

PUBL. Qui sequitur Numus decimus, Templum habet cum fronte permagnifica. Aream quippe habet antegradus, porticumque sex columnis fultam: alas quoque ad latera, & in summo Cupolam: statuis deinde pluribus ornatur medio cum idolo: sed epigraphe caret. *TULL.* Pinxit eundem *Vicus Ære Tiberii* 7mo. Fuerat quondam Romæ pompæ longe minoris *Ædes*, *Concordiæ* sacra: quam *Furius Camillus* in seditione populari voto nuncupaverat, oppressoque tumultu in ascensu Capitolii posuit, *Plutarcho* teste. Vetustate postea concidens, iterum erigi cœpta est per *Liviam* conjugem *Augusti*, atque collata etiam stipe publica, in hanc magnificam formam redacta, Templum esse cœpit, a *Tiberio* necdum imperante dedicatum: quod e *Suetonio* discimus. De origine hujus *Aedis* primæ cecinit *Ovidius*:

Factor I.
v. 637.

Furius antiquam Populi Dictator Etrusci
Voverat, & voti solverat ille fidem.
Causa, quod a Patribus sumtis discesserat armis
Vulgus, & ipsa suas Roma timebat opes.

Lamprid.
in Alex.
Sev. c. 6.

X.
TAB. III.
N. XI.

L.
XXXVI.
c. 24.
Libr. I.
c. 14.

Frequenter deinde in hoc Templum, ob faustum optatumque *Concordiæ* auspiciam, Senatus convenire consuevit.

PUBL. Numus undecimus haud minori est elegantia, cum fronte sex columnis fulta: in cujus medio Dea super aram consistit, utrinque Statuis duabus inter columnas erectis: qualibus & fastigium exornatur. Epigraphe autem denuo nulla. *TULL.* Occurrit hoc Templum apud *Aen. Vicum Ære Titi* 9no. fuitque *Pacis*, a *Vespasiano* Patre illius constructum. Tale porro existit, ut a *Plinio* dictum sit *Pulcerrimum Operum*, quæ unquam. Item ab *Herodiano*: „ Opus cunctorum tota Urbe maximum, atque pulcherrimum, Templorum omnium opulentissimum, egregieque „ munitum, multoque ornatum auro: quippe universi ferme „ suas illic divitias quasi in thesaurum congregabant, „ Nolle enim

enim debes, Romanos in Tempia, quidquid charissimum sibi erat, Divitias, Bibliothecas, Archiva, acta publica intulisse, Deorum custodiæ concredita. Causa struendi hujus Templi fuit reducta Pax post Bella Civilia, quæ sub Nerone cæpta, sub æmulis Imperii, Galba, Othone, Vitellio, cum omnium horum interitu, crudeliter agebantur, misere per varias Familias fluctuante summa Potestate, donec in Flavia, per Vespasianum rursus ad tempus constabiliretur. Unde Templi hujus Inscriptio fuit: *Paci æternæ Domus Imp. Vespasiani Caesaris Aug. Liberatorumque ejus Sacrum.*

PUBL. Quod Numum tuum duodecimum adhuc exornat æque pulchrum ac splendidum Templum, Jovi denuo sacrum esse, per epigraphen doceor. Columnis quatuor illud assurgit, sedetque sub eo Jupiter cum hasta, fulm^eq^{ue} quasi actu intorquens. Porticibus vero undique circumdatum, in Proneo sive ingressu statuis pluribus decoratur. Circum lego: JOVI ULTORI. P. ont. M. ax. TR. ib. P. ot. III. COS. II. dum. TULL. Protulit hunc Numum in cæteris Ill. Spanhemius II. p. 645. magnum & æreum cum capite *Alexandri Severi* in Adversa, a quo & hoc Templum *Jovi Ultori* Romæ positum esse, prodentibus id Auctoribus, asseruit, nullo tamen ibidem collaudato. *Lampridius* id minime commemorat, immo tradidit potius, hunc Imperatorem „ in Templis nunquam præter quatuor, aut quinque Argenti libras, „ Auri ne guttulam quidem, aut bracteolam posuisse, susurrando „ *Persii* versus :

XI.
TAB. III.
N. XII.

In sanctis quid facit Aurum ?,

Cæterum apud hunc Ill. Virum duo Medalliones *Caracallæ* pinguntur, quorum uterque non unico solum, sed plane tribus Templis, aut juxta se positis, aut sibi adversis insignitur. Horum aliqua *tetrastyla*, i. e. quatuor, alia *hexastyla*, nempe sex, alia *pycnostyla*, nimirum plurimarum per omne latus columnarum, ut ea *Viruvius* appellat, existunt. PUBL. Memet velut eripis mihi, dum te tam illustribus Numis me edoces, facisque tandem, ut, quam inops ego sim proletario Ære meo, omni ambitu posito, plenissime introspectiam. TULL. Antequam hic manum de ta-

XII.

bula

bula, duos adhuc Numos, cum peregrino circa eos Cl. *Harduini* sensu, enarrare tibi placet.

XIII.

Apud Cl. *Patinum* in gente *Julia* p. 131: pingitur Denarius cum Templo tetrastylo, & epigraphe: CLEMENTIÆ CÆSARIS. Planus omnino hic titulus, insuper ibidem hoc *Plutarchi* loco illustratur. „ *Clementia* quidem *Aedem* tunc non immerito ad „ honorandam *Lenitatem Caesaris* decrevisse eos dicas. Quippe „ hostibus suis multis salutem dedit: nonnullis honores, & Ma- „ gistratus, velut *Bruto*, & *Cassio*, addidit. „ Sed *Harduino* hæc epigraphe plana non est. Cave, ait, hic continenter legas *Clementia Caesaris*. Legendum enim CLEMENT. iae I. mus *AE. dem* CÆSAR I. mperator S. acrauit. Plenius hoc docuisse se ait in *Tractatu de Numis Caesaris Dictatoris* nondum edito. Vereor autem, ne satis tueri possit, I. literam hic numeralem esse. Quoties enim aliquis primum se quidpiam fecisse prædicaverat, semper Numi PRIM. PREIM. PR. aut saltem P. positum habent.

In Plin.
suo Tom.
I. col. 71.

XIV.

Rursum in *Augusti* Numo æreo medio apud *Patin.* Imp. p. 23. Adversa Caput radiatum præfert, cum elogio. DIVUS AUGUSTUS PATER. Aversa Ædificium clausum exhibet, columnis quatuor trabeatum, cum fastigio suo. Pone S. C. infra: JOVI DEO. Aliter hunc Numum pinxit Cl. *Harduinus*, videlicet cum capite *Augusti* nudo, solumque Nomine CÆSAR AUGUSTUS. In Aversa, non clausa, sed aperta est Fabrica, circumque, non infra legitur: JOVI DEO. Laudat deinde hunc Numum ex *Patino*, & *Vaillantio*, ac subdit: Ajunt, pictum ibi Templum esse, quia *Jovi Deo* ibidem legerunt: at re ipsa Palatium est. Legit igitur ipse, I. mperatori O. rbis V. iclori I. uscriptam D. omum E. duci O. btulerunt. Ratio eidem suum ingenium. Fatetur quidem, *Augustum*, ex omnibus Imperatoribus unum, *Dei* nomen in Numis accepisse: quod vero nil aliud innueret, quam *summe Beneficium erga mortales*, non proinde Divinitatem, quæ Tempora meretur.

In Plin.
suo Tab.
VI. n. 18.
ad Tomi
I. col. 402

XV.

Verum tamen supra jam audisti, eum Romæ quidem Templum sibi fieri penitus abnuisse, alibi vero non admisisse, nisi communi titulo sibi, & Romæ adscripta. Interim adhuc viventem eum passim a civitatibus Deorum suorum numero insertum, *Appianus*, & *Aurelius Victor* tradidere, observante Ill. *Spanhemio*.

Tom. II.
p. 489.
sqq.

Qui

Qui & Numos græcos Augusti viventis, Tiberii, Neronis, Domitiani, Nervæ, commemorat, ubi ΘΕΟΣ, i. e. Dei elogium his omnibus additum legitur. Ludens porro in Augusti Divinitatem Plinius, Deorum omnium irrisor, postquam dixisset, in eo magna fortis humana reperta Volunnia, & omnia ejus adversa magno catalogo enarrasset, hoc demum epiphonemate conclusisset: In summa, Deus ille, Cælumque, nescio, adeptus magis, an meritis, herede hostis sui filio (nempe Tiberio) excessit. Quæ coacervata de Augusti jactata Divinitate testimonia Veterum, novæ Harduini sententiæ haud modicum certe incommodant.

Libr. VII
c. 46.

PUBL. Putem & ego, propriores hujus Monarchæ Seculo, res ejus certius novisse. Cæterum, quando literas in voces formare, cum qualicumque ad imagines analogia, pro ingenio licet, possem & ego, Templum in hoc Numo cum aliis Viris doctis agnoscens, hanc epigraphen, JOVI DEO, mihi met ipsi sic interpretari: I. mperatori O. ptimo V. otum I. mmortalium D. eorum E. xemplo O. blatum. Vel aliter: I. mperator O. ptimus V. ita I. mmortalis D. ono E. reptus O. rbi. Quod sane utrumque consecrato jamque Divo Augusto Patri, ut in Adversa Patiniana prædicatur, admodum congrueret. TULL. Ludentem Plinium excipis: cave autem, te ipsum audacia tua ludum ne facias. PUBL. Non, quod alii legant, sed quod mihi hariolanti succurrit, vere ludendo exponens, tentatæ per jocum alex facilem veniam spero.

XVI.



M

DI-